

An. 521.

DE

ERVDITIS  
MALE HABITIS  
PRAEFATVS

---

Hn  
7081

AD  
ORATIONES  
BENEVOLE AVSCVLTANDAS  
OBSEQVIOSE

INVITAT

M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.

---

FREIBERGAE,  
Litteris CHRISTOPH. MATTHAEL.

XXIV.



**Q**um nuper in templo Oederano effigiem PAVLI ODONTII, viri pro puriori doctrina grauissima perpessi, contemplarer, a) hanc fere communem esse conditionem cum omnium eruditorum, tum in primis religiosorum sanctioris fidei confessorum, ut ludibrio hominum male animatorum exponantur, animo sentiebam. Et quoniam in his recensendis multi scriptores operam singularem collocaunt, quorum ex numero LACTANTIVM, b) Io. FOXVM, c) Lud. RABVM, d) Io. CRISPINVM, e) Paul. CROCIVM, f) Iac. Aug. THVANVM, g) Phil. a LIMBORCH, h) Io MEISNERVM, i) C. SAGITTARIVM, k) et C. KORTHOLTVM, l) nominasse sufficiat: eorum aliquot exempla nunc in medium proferre iuuat, qui in re publica litteraria quidem conspicui, sed omnis generis contumelias adfecti, atque indignissimis iniuriis pessime lacerati fuerunt; ut habeant, quos intueantur litterarum cultores, ubi non solum vident, sed etiam re ac facto experiuntur, hanc esse omnis virtutis indolem, ut, quo clarius exsplendescit, eo magis laus eius obteratur. Agmen ducat

HESIODVS, poëtarum graecorum si non primus, nemini certe secundus, cuius carmina non minus ob argumenti dignitatem, quam sili elegantiam merito iuuentuti scholasticae commendantur, et nostra etiam in officina diligenter exercentur. Hic quanto excellentius nactus erat ingenium, naturae habitu prope diuino instructus, tanto plures, eosque iniquissimos habuit obtreclatores, et nominatum Lucianum ac Cercopeni quendam, pus ac venenum pleno ore in ipsum eructantes. m) In quo eandem cum ceteris summi nominis poetis expertus est fortunam; quum constet, Homerum a Zoilo et Siagro, Pindarum ab Amphimane, Simonidem a Timocreonte, Virgilium autem atque Horatium a Maeuiis, Bauis ac Sussenis, lugillatos fuisse. Quan indignis vero in vita contumelias lacefisisse sunt, tam infelicem vitæ exitum idem habuit, ut PLVTARCHVS refert. n) Nam quum ab Oraculo Delphico, de fatis futuris consulto, responsum tulisset, ut Iouis Nemaei templum vitaret, mox vero in Locridem, comitibus Milesio et Troilo, perueniret, ubi hoc templum aliquando fuerat, et Milesius filiam hospitis, apud quem diuertebantur, vitiasset, puellæ fratres Hesiodum, quem huius rei concium putabant, occiderunt, eiusque cadaver in mare abiecerunt, dignum, quod Orchomenii, monente oraculo, eruerent, et in medio foro suae verbis, hac addita epigraphe, inhumarent:

Ατηνη μεν πατερις πολυκληπος αλλα θαυμοτος  
Οσεα πληξιππων γη Μαινων κατεχει

Horode

- a) de quo vid. Veramandi Gespraech im Reich der Toden zwischen Paulo Odontio und Rob. Barus. *Fris. u. Leipzig.* 1724.      b) in Institutt, diu. L. V. c II.      c) in Martyrolog. *Baf* 1559.      d) in Martyrbuche. *Argentor.* 1572.      e) in Martyrol. *Genes.* 1560.      f) in Grossen Martyrbuche. *Brem.* 1682.      g) in Histor. *passim.*      h) Histor. *In quil.* *Amstel.* 1692.      i) *Diff. de Persecution. et Martyr. Christianor. vet.*      k) de cruciatibus Martyrum.      l) de persecut. eccl. sub Imperatorib. *Ethn.*      m) *Lil. Gyraldi* Histor. Poet. Dial. II.      n) Conviv. Sept. Sap. p. 225.



*'Ησιόδος, ταῦ πλειστοῖς ἐν αὐθεωποίοις κλέος ἔσιν*

*Ἀνδρῶν κρητομενῶν ἐν Βοσσαῖοις σοφῶν. i. e.*

*fertilis Ascre quidem patria est, sed mortui ossa terra Minyarum pugnacium souet  
Hesiodi, cuius gloria maxima est inter homines et viros ex iudicio sapientiae  
dignoscendos. Huic iungimus*

EVRIPIDEM, Salaminium, poetam inter Graecos tragicum, qui ab ipso oraculo post Socratem magistrum pro sapientissimo suae aetatis indicatus, ob profundos autem sententiarum recessus Philolophus scenicus adpellatus fuit, et cuius tragedias mel ac Sirenas spirare, veteres flatuerunt. Infelicissimo vero fato felicissimus hic poeta interceptus est, quippe qui a canibus regis Macedonum Archelai, ab Aribaeo et Crateua poetis, eius aenulis, in ipsum immisso, misere dilaniatus, animam efflavit. o) Cuius mortui exuuias Athenienses quidem, missis legatis, expetebant, sed non impetrabant. Ut ne vero posteri ignorarent, quanto in pretio hunc poetam habuerint, monumentum, his verbis expressum, publice illi decernebant:

*Μνῆμα μεν Ἐλλας ἀπασ' Εὐριπίδ' ὄσσα δ' ἔχει*

*Τῇ Μακεδονὶ, οὐ γάρ δέξατο τερψα βίη.*

*Πατέρες δ' Ἐλλαδος, Ἐλλας Αθηνη, πλειστα δὲ Μακεδονίας*

*Τερψας, ἐν πολλῶν κοι τον ἐπαγρουν ἔχει. i. e.*

*est quidem tota Graecia monumentum Euripidis, ossa vero terra Macedonum habet.  
Quae terminum vitae absulit. Patria Graeciae, Graeciae Athenae, sed, multum  
musas delectans, ex multis etiam hanc laudem habet. Porro ex poetarum Grae-  
corum numero addi meretur*

CHOERILVS, qui Alexandri M. aetate viuebat, et huic adeo carus erat, ut ipsum comitem in expeditionibus Asiaticis secum duceret, eique in mandatis daret, ut res ab se gestas versibus complecteretur. p) Id quod tam inuita Minerua praestabat, ut Alexander, quamvis eius labores eximiis praemiis compensaret, aperte tamen pronunciaret, se Homeri Thersites, quam Choerili Achillem esse malle. Quam munificentiam HORATIVS miratur, ita canens: q)

*Gratus Alexandro regi magno fuit ille*

*Choerilus, incultis qui versibus et male natis*

*Rettulit acceptos, regale numisma, Philippos.*

Tandem vero quem rex, ad abstergendum vel potius leuandum elumbium ac ieianorum carminum fastidium, cum eo pepigisset, ut pro singulis bonis versibus singulos acciperet aureos, pro malis autem colaphos, quem recitaret, tot mala inuenta sunt, ut multitudine alaparum necaretur. r) A Graecis progredimur ad Latinos, inter quos primo loco obuerfatur

CICERO,

o) vid. Iosephi Barberii Tr. de miseria poetar. Graecor. et A. Gellii Noct. Att. L. XV. 20.

q) L. II. Ep. I. 232. et in Art. poet. v. 356.

r) Petr. Alcyonius de miseria poetar.

Graecor. in Gronov. Thes. T. X. p. 520.

CICERO, dono quodam diuinæ prouidentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experta esse videbatur, et qui ingenio fide atque industria consequebatur, ut Pater Patriae cognominaretur. Quanta autem nominis enitebat fama, tanta odia hominum maleuolorum incurrebat. Nam, ut taceam, quam misere inter Catilinas, Clodios, Pompeios, et Crassos, partim manifestos inimicos, partim dubios amicos, iactatus fuerit atque fluctuatus: Vatinium, oratorem suae aetatis, turgida gruma deformem, grauissimum hostem habebat, eiusque odium ac inuidiam semel atque iterum prouocabat. In primis vero orationibus suis Philippicis Antonium, imperii potitum, ita pungebat, ut, indignatione in se conuersa, ad illud fatale funeſſimumque capitis supplicium raptaretur, quod IVVENALIS, de Demosthene et Cicerone exponens, ita describit: s)

Eloquo sed uteisque perit orator, utrumque  
Largus et exundans leto dedit ingenii fons;  
Ingenio manus est et ceruix caesa, nec unquam  
Sanguine cauſſidici maduerunt roſtra puſilli.

Cuius mortem, tanto viro omnino indignam, his verbis VALERIVS M. expōnit: t) Cicero Caium Popillium Laenatem, rogatu M. Cocti, non minore cura, quam eloquentia defenderat, eumque causa admodum dubia fluctuantem saluum ad penates suos remiserat. Hic Popilius postea, nec re, nec verbo a Cicerone laetus, ultro M. Antonium rogauit, ut ad illum proscriptum persequendum et iugulandum mitteretur. Impetratis detestabilis ministerii partibus, virum amplissimae dignitatis iugulum praebere iuſſit, ac protinus caput romanae eloquentiae, et pacis clarissimam dextram amputauit, eaque sarcina, tanquam optimis spoliis alacer in urbem reuersus est. Quam fati acerbissimi iniuitatem CORNELIVS SEVERVS his versibus deplorauit:

Abſtulit una dies aeuī decus, icta que luctu  
Conticuit Latiae tristis facundia linguae,  
Vnica ſollicitis quondam tutela ſalusque,  
Egregium ſemper patriae caput: ille ſenatus,  
Vindex ille fori, legum ritusque togaeque,  
Publica vox ſaeuis aeternum obmutuit armis.  
Informes vultus ſparsaque cruore nefando  
Canitiem, ſacrasque manus operumque ministras  
Tantorum pedibus ciuīs proiecta superbis  
Proculcauit ouans, nec lubrica ſata deosque  
Reſpexit, nullo luet hoc Antonius acuo. Neque praetermittendus hoc  
loco videtur

L. ANN. SENECA, qui ingenio facilis, copioso atque amoeno, itemque ſentiis acerrimum iudicium vibrantibus decus attulit scriptis suis singulare. Quo diligenter

s) Satyr, X, 118.

q L. V. 3.

diligentius vero virtute in colebat et commendabat, eo magis infestabatur ab ad-  
versariis fraudes atque insidias ei strueribus. Quo siebat, ut, imperante Claudio  
adulterii accusatus, in Corsicanam relegaretur. In quo exilio annos circiter octo  
vixit, iniuria que animo forti atque ex celso feliciter sustinuit, studiis ac medita-  
tionibus intentus, atque aperte profitens, se inter eas res beatum esse, quae alios solent  
miseros facere. u) Imo, paucis interiectis, haec ad matrem prescribit: qualem me  
cogites, accipe: laetum et alacrem, voluti in optimis rebus. Sunt autem optimae,  
quum animus, omnis cogitationis expers, vacat operibus suis, et modo se leitoribus  
studii oblectat, modo ad considerandam sui uniuersique naturam, veri auditus, in-  
surgit. Reuocatus ab exilio, quamvis magno desiderio Athenas ferretur, ab A-  
grippina tamen erudiendo Neroni in palatum fuit adductus, pessimaque disci-  
puli magister optimus factus. Quum enim i coniurationis Pisonianae conscientia  
accusaretur, Nero per tribunum ultimam necessitatatem ei denunciauit. Hic vero  
imperterritu animo amicos, lacrymis eius casum deplorantes, ad firmitudinem  
reuoauit, cui, inquiens, ignara est Neronis facuita? cui post matrem fratremque  
interfectos, nihil aliud supereft, quam ut educatoris praceptorisque adiiciat mor-  
tem. Hac mente contra omnes iniurias obfirmata venas sibi praefecans, cruram-  
que venas abrumpens, et durante traectu mortisque lentitudine, hausto veneno,  
postremo calidae aquae flagnum introiens, exanimatus est. w) Cum hoc com-  
parari meretur

ANIC. MANL. TORQV. BOETHIVS, vir de consulatu, quem Romae  
gessit, non minus, quam de litteris optime proueritus, quippe Latine Graeceque  
doctissimus, atque in omni fere studiorum genere excellens. Nibilo secius du-  
rissima fata sustinuit, non solum in carcere Ticini coniectus, x) in quo exi-  
mios illos de consolatione philosophica libros composuit; sed etiam à Theodo-  
rico, Ostrogothorum rege in Italia, capite priuatus. y) Cuius indignam mor-  
tem hoc miraculo BARONIVS illustrat, z) quod post capitidis truncationem ca-  
put suum utraque manu sustentavit, inque vicinum templum ingressus, flexis  
genibus S. S. eucharistiae sacramentum acceperit, et ita animam Deo reddiderit.  
Ex recentiori aetate eruditorum male habitorum numerum augent

HIER. SAVANOROLA, qui saeculo XV. vixit, ex Dominici familia, vir  
religiosus, et disertus apud Florentinos concionator. Hic quo grauius in vita  
ea tempestate inualescentia inuehebatur, eo grauius procerum odium incurrebat.  
Non solum enia acutissimis linguarum et calamorum spiculis lacefsebatur, sed  
etiam ad extremum tormentis subiectus, et tandem suspensus, an. MCCCCXCVIII.  
in publico urbis Florentinae foro comburebatur. Cuius mortem contumelio-  
fissimam his verbis THOM. PERVSINVS enarrat: a) mox, ut praeeeps a cruce  
deiectus

u) Consul. ad Helu. cap. IV. w) Tacit. Annal. L. XV. x) Bern. Sacci Hist. Ticin.  
L. VII. c. 17. y) Stollii Hist. Erudit. P. III. c. I. §. 48. et Bruckeri Hist. Philos P. IV.  
p. 1394. z) Annal. ad Ao. DXXVI. a) in Vita Hier. Savan. c. 39.

*deiectus iniecta resti fuit Hieronymus, viuum adhuc spirantemque carnifex  
flamnis eum addicere parabat, numellamque eius collo induere: sed haec eius ex-  
cudit manibus, atque in subiectas immissa est paleas et stupas igni paratas; quam  
dum repetit et aptat, suffocatus et strangulatus interea Hieronymus, animam ex-  
halauit. Haud dissimilia fere fata sub idem tempus habuit*

ANT. MANCINELLVS, Veliternus, philologus felicissimi ingenii, sed in-  
felicissimae fortis, qui ipse, quantum inuidiae deuorauerit, in epigrammate testa-  
tur, quod Decadi Sermonum, Argentorati anno MDX, typis exscriptorum praefixit;

*Seria Moeonidae liuor detretat et odit,*

*Ausonium vatem nec sine labe canit.*

*Quid mibi venturum mediter? quid? dum tamen ista*

*Qualiacunque legant, quid mibi liuor iners?*

*Liuidus adlatrat passim quoq[ue] peritor:*

*Ast in secessu clam tenet atque legit.*

Vera autem ipsum, veluti vatem atque augurem, cecinisse, eventus docuit, ubi  
auribus, lingua et utraque manu amputatis, quod incestum, ea aetate omnia foe-  
dantem, damnasset, miserabili morte extinctus fuit. b) Eadem fere fata tulit

PETR. RAMVS, qui, superatis omnibus paupertatis incommodis, ad su-  
premam eruditii ingenii laudem peruenit, susceptoque docendi munere in aca-  
demia Parisiensi aequales omnes cum auditorum frequentia, tum eloquentiae fa-  
ma, longissime anteivit. Quum vero, editis in Aristotelem animaduersioribus,  
summum illum philosophum liberius insectaretur, mirum quantos tumultus  
excitarit, doctis pene omnibus in eum insurgentibus, et receptam in scholis di-  
sciplinam mordicus defendantibus. Quod odium tunc demum aperte erumper-  
bat, quum, feruentibus in Gallia bellis, Colignius interfactus esset, et in omnes,  
qui ab illius partibus steterant, impune saeuiretur. In quorum numero quum  
Ramus esset, sicarii, aemulorum et maleuolorum insidiis subornati, ipsum pu-  
gione confossum de summa aedium fenestra praecepitem dederunt, foedoque ac  
immani spectaculo per vicos urbis raptatum et immani crudelitate laceratum ca-  
daver in propinquum Sequanae profluentem demerserunt. c) Ex saeculo post  
Christum natum decimo sexto hunc in censum venit

NICOD. FRISCHLINVS, Würtembergensis, vir litteris elegantioribus ex-  
mius, et in primis carminibus concinnis immortale nomen consequutus: quem  
vero miserrimum inconstantissimae fortunae ludibrium iure adpellare possumus.  
Postquam enim ex uno loco in aliud concesserat, fatorum iniurias leuaturus, ad  
extremum blonde in patriam reuocatus reuertit. At vix redditus factus, principis  
influi, in custodia tradebatur. Quo facto, carceris squalorem perosus, fugam  
meditabatur, coque consilio funem comparabat ex cannabi et stupa probe  
contortum: quem effracta fornace, regulis clathris, paratoque ad moenia redditu, à

parte

b) Bayle Diction.

c) Scaeuol. Sammarthan. Elog. L. II. 21.

parte muri superiore religabat. Religatum deinceps aude amplectebatur, per murum sese demissurus. At vix iter ingressus, infelicissime illud finiebat. Nam ex praeципiti decidebat, et ad saxa scopulosque adlisis, miserimeque laceratus, ignominiosum ibi vitae finem inneniebat, ubi libertatis initium sibi reperisse videbatur. d) Et quam male habitus fuerit cancellarius superiori saeculo in Anglia longe celeberrimus

FR. BACO DE VERVLAMIO, qui, inuidia hominum maleuolorum obfetricante, non solum à splendido munere deiiciebatur, sed etiam in carcerem detrudebatur, ex vita sua historia constat. e) Tantum autem aberat, ut excelsus illius animus his contumeliis frangeretur, ut potius, à negotiis ciuilibus retractus, extrellum illud vitae tempus bonae frugis meditationibus impenderet, et maximam partem librorum aeterna laude dignissimorum elaboraret; cui salus publica etiam inter aduersitates nouercantis fortunae iniquissimas curae atque cordi tantopere erat, ac si illius solius prouehendae atque amplificandae cauilla istam calamitatem subiisset. Neque mitiora fata subiit Italus celeberrimus

FERRANTES PALLAVICINVS, ingenii venustate et stili elegantia in primis commendabilis, in eo tamen infelix, quod à perstringendis saeculi sui moribus temperare sibi non poterat. Postquam enim ex hac cauilla in plurimorum odium incurrerat, audiens, quod singulare praemium iis prouissum esset, qui Pallavicinum aut viuum aut mortuum Romanum perferrent, fuga quidem suae ipsius saluti consulere studebat: at proditus ab amico profligatae fidei, Auenione in Gallia captus, capite truncabatur. Quod fatum sinistrum Pallavicino amicus Loredanus his verbis praedixerat: *La Satira muove il riso de gl<sup>o</sup> ascoltanti, ma fa piangere per ordinario gli autori.* *Voglia Dio, che ciò non si verifichi anche nella sua persona.* *Chi dice male di chi può far del male, se non merita il titolo di pazzo non può fuggire quello d' imprudente.* *Le sodisfattioni, che ne vengono, si possono paragonare a quelle medicine, che aggravano l' inferno in vece di risarvarlo.* Hunc excipiat Romanus ille iuris et doctrinae ciuilis peritia haud ignobilis,

TRAIAN. BOCCALINVS, vir, qui sua aetate nemini doctorum eruditio nis amplitudine cessit. Vbi vero, vi ingenii viuidissimi effervescente, acrius calamus in vitia magnatum strinxerat, concitato in se principum odio, Venetas se recepit, ibique tanquam in portu tutum, et extra omnem teli iactum se fore, existimauit. At falso. Nam quum nihil omnino extimesceret, quatuor viri procerae staturae vultusque terribilis, ad caedem faciendam subornati, ex insidiis prosilientes conclave irrumunt, caputque ac tergum Boccalini sacculis glarea oppletis ita contundunt, ut corpus eius humi procumberet, et examinatum contumeliosissima morte infamaretur. f)

Plura

d) vid. Cel. M. C. H. *Langii Commentat. de vita et fatis N. Frischlini. Guelpherb. 1727.*

e) vid. *Vita Verulamii eius Operibus praefixa,*  
p. 271. sqq.

f) I. N. *Erythraei Pinacoth.*

RA  
Th  
7081

Plura chartae angustia iam non capit. Ex iis vero, quae in scenam produxi-  
mus, exemplis, facile perspicimus, litterarum studiis nulla aetate vel maleuolos  
obtrectatores vel apertos hostes desuisse. Nos autem, qui sapientiae studio serui-  
mus, his conuitis et contumelii injuriosissimis non frangamur, aut in stadio la-  
borum decurrendo retardemur, sed potius erigamur, et ad talem nominis famam  
comparandam exstimorem, qualem hi viri tam male habiti, etiam inter tri-  
flissima fata et funestissimum vitae exitum ad posteros transmiserunt. Quamuis  
enim haec exempla de improbo litterarum contemptu aperte testentur; longe ta-  
men plura, imo infinita sunt, quae nos docent, quod adhuc honos studiis duret.  
Cuius rei documenta cum copiosa schola Freibergensis habet, tum illud in primis  
beneficium RICHTERIANVM, egenis litterarum alumnis liberaliter destinatum,  
cuius memoria annuueraria circa hoc tempus recurrat, pia praedicatione celebranda.

Neque alio consilio artibus liberalibus operari suam in palaestra nostra littera-  
ria adhuc nauavit iuuenis et familie honestate, et nobilissimi Parentis fide, et  
naturae fauntricis dotibus commendabilis.

SAMVEL GOTTLÖB HABERLAND. *Oederanus.*

quam, ut gloriae hederam, sapientiae studiis praefixam, saustis auspiciis aliquando  
decerperet, et tantum ornamenti sue familie, quantum emolumenti reipublicae  
adferret. Iam vero, ad abitum in scholam superiorem accinctus, suum esse putat,  
animum pium et beneficiorum memorem iis omnibus publice significare, qui in  
se poliendo et bene formando operari collocaerant. Prius autem, quam hoc faciat,  
habita praesentis temporis ratione, ubi acerbissimi cruciatus et dolores, quibuscum  
optimus Salvator generis humani usque ad mortem colluctatus fuit, pro rostris  
sacris explicantur, de *athletica sacra ex historia Iesu patientis addiscenda*, gra-  
ecis verbis perorabit. Quo digresso, in medium prodibit adolescens pietate  
aque diligentia nobis probatus,

GOTTLÖB FRIDR. ZVNDLER. *Freiberg.*

sermone Latino hymnum iubilaeum ante initam à I. C. passionem decantatum  
complectetur, et grauissimis amplissimi LEGATI RICHTERIANI administrato-  
ribus pro hoc beneficio sibi collato, debitas gratias persoluet. Tandem  
oratione germanica plus simplici vice a nobis laudatus

GEORG. SAM. CREVZIGER. *Franckenberg.*

ex rerum gestarum monumentis exempla eorum percensebit, qui terminum mor-  
tis sua exakte praedixerunt: quo facto, commilitonum suoque nomine Haber-  
landium, amicum et cognatum dilectissimum, piis votis prosequetur.

Si per Vestra negotia licuerit, non dubito, PATRONI ac FAVTORES, quin  
cras, peractis ante meridiem sacris, ad audienda iuuenium in spem patriae natu-  
rum et educatorum specimina sitis accessuri, Vestroque singulari fauore conatus  
ipsorum leuaturi. Ego autem quo impensius hoc rogo, atque contendeo,

eo certius, hoc Vobis institutum probatum iri, confido. P. P.

*Freibergae, a. d. XII. Febr. MDCCL,*

X2536384



An. 521, 5.

DE  
**ERVDITIS  
MALE HABITIS**  
PRAEFATVS

AD  
**ORATIONES  
BENEVOLE AVSCVLTANDAS  
OBSEQVIOSE**

INVITAT

*M. IO. GOTTL. BIDERMANN R.*

FREIBERGAE,  
Litteris CHRISTOPH. MATTHAEL.



XXIV.

